

# De Ecclesia

Autor(en): **Commer, Ernestus**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Divus Thomas**

Band (Jahr): **7 (1929)**

PDF erstellt am: **17.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-762724>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Ein Dienst der *ETH-Bibliothek*  
ETH Zürich, Rämistrasse 101, 8092 Zürich, Schweiz, [www.library.ethz.ch](http://www.library.ethz.ch)

<http://www.e-periodica.ch>

# DE ECCLESIA

Scriptis fel. rec, Ernestus COMMER.

---

Quaerendum nobis est, quid sit ipsa christianorum societas, quae graeco sermone dicitur convocatio fidelium, id est catholicorum collectio, in quam nos divina gratia convocati sumus; cui quidem in sacro baptismatis lavacro nomen dedimus; ad quam publice defendendam contra fidei hostes nos Christi milites roborati sumus per confirmationis sacramentum; quae nobis etiam sacramento poenitentiae peccata remisit; quae nos cibo Eucharistiae divinissimo cotidie aluit; quae reliquias peccatorum quoque extrema infirmorum unctione ab hominibus sustulit; quae potestatem super verum Christi corpus sacro ordine nobis tradidit; ac denique ipsum genus christianorum sancto matrimonio ad finem usque saeculi propagare non cessat. Haec igitur mater nostra, a qua nos adoptivi filii Dei in Christo sumus renati, haec, inquam, sacrosancta Ecclesia Romana, quam ad salutem aeternam nos profiteri oportet, tribus signis optime ostenditur *domus Dei, corpus Christi mysticum, unica sponsa Christi Domini sancta et gloriosa.*

Etenim istis praecipuis nominibus vel titulis Ecclesia Christi a scriptoribus sacris, quibus Deus arcana sua manifestavit, aperte signatur atque copiose ornatur. Nam stricte definiri ad rigorem artis logicae Ecclesia omnino nequit: primum quia id, quod definiendum est, necesse est sit ens per se seu aliqua substantia, ut philosophi dicunt; Ecclesia vero, cum sit composita ex hominibus et permixta divinis simul atque humanis, opus est arte divina potius quam natura perfectum, quare se habet ut ens per accidens, non ut ens per se dictum; dein ea est res plane singularis atque individua, cum sit una res in se indivisa et ab omnibus aliis societatibus divisa; sed constat inter omnes, individua non posse amplius solvi in genus et differentiam, quae resolutio ad veram definitionem, quam essentialem vocant, certe requiritur; denique, quia eadem tota in ordine supra naturam rerum omnium creatarum a Servatore divino instituta est: sed eae res, quae supra ceteras naturales existunt, finibus circumscribere naturalibus non licet. Quare quid ipsa sit Ecclesia, cum eius essentia strictam definitionem non admittat, magis sacris similitudinibus et imaginibus docemur, quibus haec res in sacris Litteris manifestatur: nam Ecclesia ipsa articulus quidam fidei est credendus. Cuius existentia quidem

clare apparet, essentia autem sub divino mysterio latet, quippe quae ex fide tantum illustrari et, solutis adversariorum rationibus, adversus inimicos defendi possit. Haec igitur tria signa, a quibus cetera facile petuntur, nobis brevi explicanda sunt.

I. Ac primum quidem Ecclesia in sacris Litteris proponitur symbolo ex arte architecturae desumpto, quod primum signum videtur, quod res tota facilius cognoscatur, cum ea *Domus Dei* vel Christi dicatur, quae etiam spiritalis magnaue praedicatur. Etenim sicut domus civilis e pluribus lapidibus vel tignis in unam formam arte redactis habitationis gratia exstruitur, similiter haec hominum fidelium structura ad cohabitandum cum ipso Christo Deo incarnato composita est arte summa et divina. Cuius primum fundamentum in terram iactum est ipse Christus Redemptor divinus assumpta humanitate ut lapis firmissimus atque angularis, qui totam molem huius aedificii spiritalis sustentaret. Qui ipse etiam alterum in terra fundamentum super suum corpus verum ac vivum, quod pro salute hominum oblatum est, apposuit, beatorum basim apostolorum, quorum princeps petra constitutus. Petrus est, a quo potestas omnis spiritalis, quae ex Christi potestate plena oritur, in ceteros apostolos derivatur. Materia autem huius aedis, quod simul est templum Dei vivi et Spiritus sancti, ipsi homines sunt, qui lapides dicuntur, quos ad fidem Christi conversos apostoli ceterique ministri, qui illos in eodem munere secuti sunt, undique convocaverunt. Quae quidem magna domus Dei, ab ipso Christo Domino fundata, a Sancto eius Spiritu ope apostolica exaedificatur per saecula omnia.

Cuius existentia ab ipso Christo, semper, sicut olim in terris, ita nunc in sacramento Eucharistiae reapse praesenti, assidue perficitur; essentia vero eiusdem a Sancto Spiritu perenniter praesenti constituitur; quare haec aedes sacratissima, quae dicitur Ecclesia, verum est templum, in quo ipse Christus et summus sacerdos et altare et victima est. Etsi autem domus prima vocis significatione dicitur locus, quo familia cohabitavit, tamen ipsa quoque familia eodem nomine vocari solet. Haec vero domus Dei quia aetatibus succedentibus ubique terrarum sparsa est, recte dictum est, eam aedificiis novis additis quasi partibus in magnam excrevisse civitatem, cuius nomine non ita saxa quam ipsos habitatores notari patet: unde Ecclesia dicitur etiam civitas Dei sancta et dilecta, quae supra montem posita abscondi non potest: hic enim mons est Christus, quare ab omnibus, qui oculos rationis aperire cupiunt, ea facile videatur, quae in cacumine montis exstructa magna aedium fabrica sit.

Sed cum concors populorum consociatio regnum dicatur, Ecclesia in ipsum Dei atque Christi regnum in terris conditum coaluisse rectissime traditur, quod tandem ad ultimam perfectionem in caelis redigendum nominatur regnum caelorum atque caelestis urbs Jerusalem.

Quibus nominibus Ecclesia quomodo primum iustituta et per spatia temporaque amplificata sit, optime describitur. Cetera vero signa, quibus eadem in s. litteris exhibetur, ad haec tria a nobis exposita facile rediguntur. Navis enim vel arca Noe, qua typus Ecclesiae exprimitur, quid nisi domus quaedam hominum in mari versantium sive in aquis huius saeculi periclitantium videtur esse? Simili quoque modo ager vel ovile Christi, quod dicitur, ad signum domus, grex autem ad civitatem vel regnum redit, ne de aliis nominibus dicam.

II. Secunda autem similitudo, qua Ecclesia nobis proponitur, est symbolum a corpore hominis vivo commendatum, quod tamen a priore non est prorsus alienum, sed eo altius atque ad rem profundius intellegendam fere aptius videtur. Etenim ipsa domus, quod est aedificium ab architecto exstructum, etiam corpus quoddam arte compositum est. Similiter corpus hominis vivum, si naturam rerum inspicere velis, ab ipso Creatore O. M. arte divina est compositum e materia communi et ex anima rationali tamquam e forma totius interiore vitam primum efficiente humanam, uti doctrina Concilii Viennensis probatur. Multorum vero hominum societas ordinata, quarum prima domestica appellatur familia, altera civilis dicitur civitas, tertia reipublicae regnum vocatur, instar cuiusdam hominis maioris ex singulis hominibus quasi membris diversis tamquam ex communi multitudinis materia atque ex uno regiminis vinculo quasi ex anima maioris huius societatis componitur. Itaque Ecclesia quoque Christi construitur e duplici elemento, quorum alterum est multitudo hominum fidelium, qui supra humanam naturam spiritaliter renati et in membra Christi viva per Spiritum Sanctum denuo formati sunt, alterum vero huius societatis anima, qua illa membra uno vinculo vitali supra humanum modum atque supra leges totius naturae creatae conservantur moventur reguntur. Quare haec tota hominum societas in unam fidem convocata, quae Christi dicitur Ecclesia, cuius singuli socii cum ipso Christo, primo vitae supernaturalis et salutis aeternae auctore, per fidem et sacramenta reapse ita coniunguntur, ut ab eo tamquam a capite per gratiam divinam moveantur, rectissime dicitur unum *corpus Christi* maius factum, quod mysticum appellatur, cum non legibus naturae, sed consilio Dei secreto maximeque arcano, quae sola fide magis divi-

nantur quam intelleguntur, divinitus excolitur. Cuius igitur maioris corporis ipse Christus membrum princeps et supremum quasi caput est, ad quod reliqui fideles subditi quasi membra eius viva aggregantur, uti Apostolus ait : Vos autem estis corpus Christi et membra de membro, nempe de eo principali, a quo spiritum vitae novae agentem supra naturam et sensus motusque gratiarum divinarum ita continuo accipiunt, ut ipsi similes capitis facti opera huius vitae spiritalia exercere possint ad sanctitatem et salutem aeternam capiendam. Spiritus vero Sanctus, a quo cunctae Christi gratiae in animos infunduntur, cor huius corporis mystici non incongrue appellatur a theologis, cum opera, quae is efficit gratiae, occulte aguntur in animis, unde ipsi motus, quos cernere pergit, sensibus non percipiuntur, sicuti in humano corpore cordis actiones ab homine intime sentiuntur quidem, non aperte videntur.

Caput vero, a quo corpus hominis regitur, unum tantum existere potest, ne monstrum videatur. Unum igitur est caput mystici quoque corporis, quod ad similitudinem hominis vivi confectum est, quare ipse solus Christus huius corporis unum caput habetur. Qui cum adspectabilis in corpore suo maiore remanere nollet, ex quo tempore a terra ad Patrem rediit caelestem, etsi ipse idem caput quidem, quod cernere et vivere non possumus, iure permansit in caelum elatus, aliud sui vicarium caput omnibus adspectabile in terris reliquit D. Petrum, qui semper vivit ac regnat persona successorum Pontificum Romanorum. Attamen non ideo corpus Christi mysticum duobus praeditum capitibus esse dicendum est : immo quia Petrus solus Christi vicarius est, etiam unum manet caput corporis, quamquam id duas quasi facies ostendit ; nam solus Christus adhuc est caput iure proprio, cuius facies amplius non cernitur ; summus autem Pontifex, quia vicarius Christi, cuius nomine et auctoritate et potestate quaecumque peragit, aspectabilis eiusdem unius capitis facies et imago ita dicatur oportet, ut unum sit caput duabus tantum personis modo apparens. Quodsi minus placet haec duplicis faciei similitudo, cuius auctor est Caietanus Cardinalis vir doctissimus, potius sic dicendum, uti mihi videtur, ne quis Jani caput imaginetur, unum quidem esse caput, cuius Christus faciem gerat nobis non aspectabilem, sed a nobis aperte videri instrumentum id, per quod idem Christus loquendo cum hominibus per vicarium personet.

Cetera autem membra cum Christo capite per intermedium collum, quo caput cum trunco iungitur, vitali cohaerent nexu. Quo collo Mater Dei signatur tamquam membrum Christo proximum ac princi-

pale huius trunci, per quod omnes gratiae a Christo capite tribuendae quasi per canalem huius perpetuae maternitatis spiritalis, quam vocant, in singulos fideles invisibili modo derivantur. Itaque hoc alterum Ecclesiae symbolum a corpore vivo petatum istius essentiam vitalem seu vitam ipsius in actu primo, qui dicitur, optime manifestat, quo illud prius signum ab architectura sumptum, quod tantum ipsum Fieri atque Ess eEcclesiae proprium declarat, permultum superatur.

III. Denique tertium symbolum, quod e sacris Litteris eruitur, ceteris adhuc divinius videtur, quod, quia a vinculo matrimonii sacramento desumitur, signum sacramenti vocari oportet. Namque illud vinculum inter Christum et fidelium societatem, quo Ecclesia dicitur *sponsa Christi* uxor, simile est vero christianorum matrimonio. Atque hic divinae caritatis nexus, gratia Christi effectus, conubium vel matrimonium spiritale habetur, cuius ipsum eiusdem nominis sacramentum christianum institutum signum est. Sicut enim in naturali matrimonio vir caput est mulieris, ita in hac individua Christi cum fidelibus societate ipse est vir sponsus atque caput, collectio vero fidelium seu Ecclesia eius se habet ut Christi sponsa uxor, quorum foedus sempiternum dissolvi nequit, cum divini amoris vinculum et totius vitae divinae supernaturalis individua consuetudo revera existat.

Itaque ipsemet ille contractus matrimonii, qui ad vim et dignitatem novi sacramenti a Christo primum elevatus est, hac divina reformatione magnum et sacrum signat mysterium, quod est coniugium Christi cum Ecclesia. Quare Apostolus haec ad fideles ait : Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo (2 Cor. 11, 2). Est igitur Ecclesia uxor Agni, quo nomine Christus signatur, legitime desponsata, de qua Dominus in vaticinio Oseae capite secundo ait : Desponsabo te mihi in fide, sponsabo te mihi in iudicio et iustitia et misericordia et miserationibus, sponsabo te in sempiternum. Triplex autem sponsatio signatur, ut hoc matrimonium monstretur initiatum ratum consummatum. Quod quidem magnum matrimonium spiritale primum signatum est in Paradiso, cum de latere Adae viri dormientis Eva coniux formaretur ; initiatum vero, cum ipse Christus homo fieret in utero Virginis ; tum ratificatum in Cruce, cum de latere aperto Christi quasi dormientis somno mortis sanguis et aqua, quibus duo principalia sacramenta Eucharistiae et baptismatis signantur, effluerent, quibus Ecclesia formaretur ; tandem idem consummatum erit, quando nuptiae Agni aeternae (Apoc. 21, 9) visione Dei beata celebrabuntur in caelo. Sunt igitur duo in carne una, caput et fidelium societas,

ratione humanae naturae Christi viri, in qua caro eius sanctissima immolata est pro Ecclesia sponsa uxore.

Cum ergo hoc matrimonii symbolo ipsum vinculum inter Christum et fideles perpetuum signetur, ipsa quoque Ecclesia, quatenus virum et uxorem, caput et membra, simul continet, quasi maximum sacramentum vel signum rei sacratissimae, quo homines sancti fiunt, videtur esse. Ad quod sanctissimum conubium animorum ineundum unusquisque fidelium fidei consensum, quo ipse se totum Christo vovet, praestare debet, dum Christus accepta ea super homines potestate, aliam potestatem accipiendi suum corpus verum, quod manducare debemus, nobis invicem tribuit. Quo consensu ipsum illud vinculum, quod sacramento simile videtur, contrahitur et constituitur, ut res et sacramentum simul sit ipsa una sacra societas Christi et fidelium, ac res tantum sacra, quae vocatur, sit ipsa Redemptionis gratia plenissima. Quare Christus vir eam quoque, quam a Patre accepit, potestatem Ecclesiae uxori tradidit et seipsum, bonorum fontem divinorum, cum ea communicavit. Itaque hoc symbolo ipsa vita divina, quam Ecclesia cum Christo Deo homine communione sanctorum per omnia saecula agit, id est Ecclesiae vita in actu secundo, qui vocatur, maxime intellegitur.

Sed illae tres similitudines arcanae, quibus Ecclesia signatur, in unam optime conflantur. Nam domus illa magna et vitalis, quae civitas Dei et regnum Christi facta est, in illud corpus mysticum ultro excrevit, quod e Christo capite et fidelibus hominibus membris ita componitur, ut simul sacrum coniugium inter eos consensu fidei et caritatis nexu ineatur. Ecclesia autem, cum sit sponsa uxor, haec ipsa collectio fidelium se habet ut una quaedam persona moralis, quae vocatur, e plurimis hominibus composita, quae per se et separatim ab omnibus aliis societatibus existit, et cum nulli nisi Christo capiti subiciatur, societas sui iuris perfectissima plane evadit. Pontifex vero Romanus, qui alterum in terra iactum fundamentum illius domus divinae creditur, quam potestate Christi secum communicata firmiter portat, idem vicarium caput quoque et aspectabile eiusdem mystici corporis factus in eodem spiritali connubio vices viri capitis gerit quasi alter Christus, quare etiam iure vicario ipse sponsus Ecclesiae universae est dicendus. Patet igitur, tribus signis explicatis optime intellegi, quid sit Ecclesia Dei, etsi eam stricte definire non licet, cum manifestum sit tum ipsum Esse Ecclesiae similitudine prima architecturae, tum ipsum eiusdem Vivere altero vitali signo, tum eius Operari tertio symbolo sacramenti.

Quod quidem ipsum Esse Vivere Operari, cum divina Christi vi ac potestate in hominum fidelium societate sit receptum, vere divinum simul atque humanum habetur. Atque cum Esse illud Patri divino, Vivere autem Filio aeterno, Operari vero Sancto Spiritui maxime approprietur, natura ipsius Ecclesiae Sanctissimam Trinitatem non solum e vestigio repraesentat, sed etiam Dei trini imaginem pulcherrime exprimit.

Quae cum ita sint, Christus Deus, qui cum Patre et Sancto Spiritu solus est auctor principalis gratiarum supra cunctam naturam creatam factarum, id ipsum novum altissimumque Esse Vivere Operari, quod Ecclesiae proprium est, per sacram humanitatem suam effecit sicut per instrumentum primarium cum divinitate coniunctum. Ecclesia autem ipsa etiam alterum instrumentum divinae vitae sacrum inde constituitur, quia a Deo in domo propria inhabitante producitur, ab eodem sui corporis capite movetur, diligitur a viro uxor uno salutari conubio, quod nequit unquam solvi. Quare salus aeterna nulla est quaerenda nec speranda extra domum magni Patris familias neque extra Christi corpus mysticum nec nisi cum eiusdem uxore virgine Ecclesia catholica.

Quanta igitur sit Ecclesiae altitudo et dignitas, quanta eius potentia, quam splendida eius pulchritudo, quis est, qui dubitet, postquam eam existere cognovit et essentiam signis sacris a Deo manifestatis didicit: quae cum visa placeat, amorem sui necesse est movere summum constantem efficacissimum.

Itaque si Christum cupimus dulcissimum, quaerendus nobis est in domo Patris sui, ubi natus et conditus est, in unitate sui corporis maioris, cuius ipse caput, in spiritali matrimonio inter Deum et homines, in quo ipse vir praeest uxori Ecclesiae. A Pontifice autem Romano doctore et governatore nos ipsi despondemur Christo Domino, eiusdemque membra viva viti divinae incorporamur, ut habitemus in domo Patris cum pace. Namque ab hoc summo magistro, vicario ipsius Christi, qui Via Veritas Vita, in terra relicto, cum nescius sit errare, fides in Christum vera traditur et integra conservatur. Cuius quidem fidei divinae principium post ipsum Christum Dei Filium est magna Mater Dei, quae ope sua nos ad Salvatorem filium suum divinum perducit, a quo tandem ad pedes Patris aeterni in urbem caelestem Sancti Spiritus feliciter deportabimur ad bene vivendum cum angelis et sanctis et ad conregnandum cum Christo, ut Deo O. M. sine fine fruamur. Quod nobis bene eveniat.